

futuris temporibus, quando et quotiens post ipsius obitum dictas vicarias seu earum aliquam per cessum vel decessum vacare contingeret, ex tunc collatio provisio seu quaevis alia dispositio dictarum vicariarum seu cuiuslibet earundem ad rectorem scolarium seu parvulorum in castro Misnensi pro tempore existentem pertinere deberet et spectare, qui quidem rector ad ipsam seu ad ipsas praesentare seu nominare deberet unum ex choralibus ecclesiae Misnensis praefatae idoneorem et ad sacerdotium promoveri magis habilem infra annum, dum tamen talis choralis sic praesentandus ante vacationem dictae vicariae, ad quam promoveri deberet, in huiusmodi officio choralium continue serviverit per annum integrum praecedentem —. Sed quia dictarum vicariarum proventuum diminutionem notabilem comperimus ipsasque dampnosis dispendiis subiacere, et ne easdem defensionis ob defectum deperire contingat, ex certis causis et rationibus animum nostrum moventibus collationem sive ius patronatus earundem quatuor vicariarum nobis ac heredibus et successoribus nostris praesentibus reservamus, accedente ad hoc venerabilium ac discretorum virorum dominorum Johannis de Egkersberge Nuemburgensis et Theodorici de Goch Budissinensis praepositorum, necnon Bertoldi de Gebeze et Jacobi de Somerfelt vicariorum ecclesiae Misnensis, testamentariorum ac ultimae voluntatis executorum praefati quondam domini Nicolai de Aldinburg decani Misnensis consensu pariter et obtento, ista tamen conditione interiecta, quod voluntas fundatoris in conferendo ipsas vicarias per nos et heredes et successores nostros iuxta modum praenotatum nullatenus infringatur; adiacentes nihilominus, quod dominus Franciscus nunc rector parvulorum in castro Misnensi, qui una cum suis successoribus spe collationis dictarum vicariarum sic frustrabitur, primam vacaturam earundem vicariarum habere debeat in restaurum, cui eandem conferre volumus et debemus. Cum autem postea dictas quatuor vicarias aut aliquam earum vacare contingat, extunc ipsas choralibus ecclesiae Misnensis idoneoribus et sufficientioribus ut praemittitur assignare intendimus et conferre. Et ut omnia et singula praemissa per nos et heredes et successores nostros firmiter observentur, praesentes literas maioris nostri sigilli appensione fecimus communiri. Datum Misnae anno domini millesimo quadringentesimo quinto die vicesima mensis Maii.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; das an einem Pergamentstreifen befestigt gewesene Siegel fehlt.

No. 781. 1405. 23. Mai.

*Transsumt der Bulle P. Innocentius VII. vom 11. Nov. 1404.*

In nom. dom. amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo quadringentesimo quinto indictione tertia decima die vicesima tertia mensis Maii hora tertiarum vel quasi pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Innocencii divina providentia papae septimi anno eius primo in cappella castri Stolpen Misnensis diocesis constitutus personaliter reverendus in Christo pater et dominus dominus Thimo episcopus Misnensis in mei notarii publici testiumque praesentia subscriptorum quandam bullam sanctissimi in Christo patris et domini domini Innocencii papae